



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Terra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

nino, id habebat hieroglyphici, quod novercam utriusque privigni exuviis insultantem ostenderet. Callimachi id inventum tradunt, qui Junoni vitem induxit. Rem hujusmodi tangit Tertullianus.

LUNA. CAP. XXVI.

Visebatur in Olympiæ templo Dianæ simulachrum alatum, dextera Pantheram, sinistra Leonem continens. Per alas volucrum Lunæ cursum interpretamur, quæ septem & viginti dierum spatio totum permeat signiferum, quem Sol vix annuo temporis spatio perlustrat: Panthera varietates ejus indicat, quas unoquoque mense XII. suis nominibus designatas alibi recensuimus. Leo Solis vim demonstrat, qua splendorem sibi comparat, ea tantum parte lucens, qua ejus radius illustratur.

VIRES CEDERE
ELOQUENTIÆ.

SOL. CAP. XXVII.



TERRA.



*Veterum
simulacra
radiata.*

Fieri etiam solita erant apud veteres simulachra quædam radiata, ita tamen, ut unius simulachri radii omnes sursum versus tenderent, alterius ad inferiora demitterentur: atque ita conformata, vectanda Leonibus commendarentur. Sciendum autem ex Vectii commentatione, Solem & Terram ex eo figmento veteres intellexisse, quippe quos Assyrii ADAD, & ADAGARTIN vocabant: ADAD quidem Solem, qui radiis deorsum inclinatis inferiora vivificat, mulcet, educat: omnium quippe terra nascentium author: ADAGARTIN vero Terram, quæ conceptam à solaribus radiis virtutem eandem, quam, licet sursum versus, erigit. Ita veluti sponsa viri appetens, ut Platonicum dictum interim usurpemus, rerum omnium suarum stipata foetu, sese habendam exporrigit. Sed enim ipsa Leonis effigies utrumque referre videtur hieroglyphicum: quippe quæ anterioribus partibus Solem exscribit, posterioribus vero Terram. Quod tamen ADAGARTIN, pro Tellure positum putat Vectius Bassus in Commentario Germanici, qui Phænomena scripsit, ubi de Erigone agitur. *Virginem, inquit, dici Ceverem arbitrati sunt plerique, spicarum quas tenet indicio: alii Adagartin malunt.* Sunt qui & fortunam, quoniam sine capite astris inseritur. Nigidio Figulo placet justitiã, vel æquitatẽ, quo